

est contra Aristotelem (1) et sensum omnium communem.

Resp. *nego*, id esse aut contra Aristotelem aut contra sensum communem. Aristoteles enim præcise contrarium docet, nempe agere et pati esse unum eundemque motum, et solum diversificari, quia diversa denominant subjecta. Lege S. Thomam (2).

Objic. 2.<sup>o</sup> In actione et passione importantur diversæ habitudines ad movens et mobile secundum rationem originis et receptionis. Ergo istæ relationes vel sunt prædicamentales vel transcendentales. Si prædicamentales, necessario important aliquid diversum a motu, quia relatio est aliquid distinctum a fundamento. Si vero sunt transcendentales: ergo sunt aliquid absolutum fundans illam relationem, et sic cum fundent relationes diversas, utpote ad diversos terminos se habentes, non poterunt omnino esse unum fundamentum; sed oportet, quod non minus distinguantur, quam ipsæ relationes fundate. Ita Joannes a S. Thoma (3), qui serio dicit hoc argumentum colligi ex Aquinate (4), propterea quod S. Doctor scribat, quod *actio* et *passio* conveniunt in substantia motus, et differunt solum secundum diversas habitudines.

Resp. Jam diximus in actione importari habitudinem vel relationem transcendentalem ad agens, et in passione ad passum vel subjectum. Sed probandum est adversariis in una eademque entitate non posse dari diversas habitudines transcendentales, quæ fundent distinctionem. Ac donec id præstiterint vel ex ratione vel ex auctoritate S. Thomæ, nihil obtinebunt, et vim manifestam facient verbis Aquinatis. Ipse enim S. Doctor, quod hic expressit dicendo actionem et passionem solum *secundum diversas habitudines* differre, alibi docuit dicendo solum ratione illas discriminari (5).

(1) Lib. 3.<sup>a</sup> *Physicor.*, text. 21.

(2) *Physicor.*, lib. 3, lect. 5, paragr. f. g.

(3) Loc. cit., Dico 2.<sup>o</sup>, *Ex quo sumitur*.

(4) 1.<sup>a</sup> p. quæst. 45, art. 2, ad 1.<sup>am</sup>

(5) Vide S. Thom. *de Anim.* lib. 3, lect. 2, paragr. g; lib. 11 *Metaph.*, lect. 9, fin; *Physicor.* lib. 3, lect. 5.

### ARTICULUS III.

#### In quo reliqua de actione expediuntur, ac potissimum inquiritur subjectum actionis transeuntis.

##### §1.—SUBJECTUM ACTIONIS

355. In præcipua hujus articuli quæstione, disputatio circumscribitur ad actionem educivam et transeuntem: immans enim, ut fatentur omnes, et nomen ipsum aperte prodit, recipitur in ipso agente: actio autem creativa subjectum non habet, in quo recipiatur. Transeuntem quoque in ipso agente recipi tenent Scotistæ communiter (1) cum Subtili Doctore (2), pluresque Thomistæ cum Cajetano (3), Dominico a Flandria et Hispalensi et aliis (4). At vero plerique Thomistæ cum Hervæo et Capreolo (5), Ferrariensi (6), Paulo Soncinato (7), Chrysostomo Javello (8) et Complutensibus (9), itemque Nostrates communissime cum Suarez, Conimbricensibus (10), Rubio (11), Benedicto Pererio (12), Toletto (13), Georgio Rhodes (14), Semery, Lossada (15) et Mayr (16). S. Thomam utraque opinio vult esse suam; Aristotelem vero contendit Suarez secundam manifeste docuisse, prout

Utrum actio  
transiens  
recipiatur in  
agente, an in  
passo:

prima sententia,

secunda,

(1) Vide apud Matrium, *Physic.*, disp. 7, quæst. 3, art. 2, n. 20.

(2) 4.<sup>o</sup> dist. 13, quæst. 1.

(3) In 1.<sup>am</sup> part. quæst. 25, art. 1.

(4) Apud Suarez, disp. 48. *Metaph.*, sect. 3, n. 2; et apud Complutens., *Physic.*, disp. 17, quæst. 4.

(5) Apud Suar., loc. cit., n. 6.

(6) In lib. 2, *Contr. Gent.* cap. 1 et 9.

(7) *Metaph.*, lib. 5, quæst. 37.

(8) *Metaph.*, lib. 9, quæst. 15.

(9) Loc. cit.

(10) *Physicor.*, lib. 3, cap. 3, quæst. 1.

(11) *Physic.*, lib. 3, cap. 3, tract. 1, quæst. 6.

(12) *De communibus*, lib. 13, cap. 7.

(13) *Physicor.*, lib. 3, quæst. 2.

(14) Op. cit., lib. 2, disp. 2, quæst. 3, sect. 5, paragr. 3.

(15) Locis citatis in præcedenti articulo.

(16) Loc. cit., n. 952.

fatentur omnes græci interpretes et latini expositores ac nominatim Alexander, Themistius, Simplicius, Philoponus et Albertus M., quos laudant Rubius et Complutenses. Tertiam quandam sententiam secutus videtur esse Joannes a S. Thoma, ut duas præcedentes in concordiam revocaret, dicens actionem «inchoative esse in agente et consummative in termino seu effectu», unde distinguit duas formalitates modales diversas, quarum altera sit in agente, altera in passo. Remque declarat exemplo: «Ad eum modum, quo Divus Thomas et Theologi (in 1. 2. quæst. 50, art. 2) dicunt quod virtus moralis, quæ moderatur passiones est in duplici potentia, scilicet in voluntate imperante, inchoative, et in appetitu eliciente passiones moderatas, consummative. Et quia denominatio virtutis fit simpliciter ab eo, ubi consummative est virtus, ideo simpliciter dicitur esse virtus in appetitu sensitivo. Eodem modo actio, quæ est causalitas emanans ab agente, quatenus reddit agens actuatum in actu secundo et transmutatum de otio in actum, relinquit formalitatem in agente inchoantem ipsum effectum; ut autem reddit ipsum effectum in actu secundo causatum et procedentem a causa, ponit formalitatem in effectu, qua redditur actio consummata. Et inde fit denominatio agendi, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum: et ratione hujus simpliciter actio est in termino» (1). Atque hanc sententiam contendit præclarus iste scriptor doceri ab Aquinate. Hanc Joannis a S. Thoma sententiam videtur tandem sequi Atonius Goudin (2).

Illud etiam in hac controversia a multis disputatur, utrum actio secundum propriam et formalem rationem actionis peccat subjectum inhæSIONIS, an vero solum denominationis: qua in re Doctor Eximius et alii arbitrantur actionem ut sic non dicere quod inhæreat alicui subjecto (3): et ita videtur quoque sensisse Angelicus (4). Matrius vero cum aliis e

(1) Joann. a S. Thom., loc. cit. *Nihilominus resolutio nostra sit...*

(2) *Physic.*, prim. part., disp. 3, quæst. 1, art. 2, *Dico* 3.<sup>o</sup>

(3) Vide Suarez, loc. cit., sect. 4. n. 12; Joann. a S. Thom. loc. cit.

(4) 1.<sup>o</sup> dist. 32, quæst. 1, art. 1; *de Potent.*, quæst. 7, art. 9 ad 7.<sup>um</sup>; et quæst. 8, part. 2.

contrario censet actionem e formali suo conceptu importare subjectum inhæSIONIS (1).

356. PROPOSITIO. Actio eductiva transiens non recipitur in agente, sed in passo.

Hæc videtur esse manifeste opinio Aristotelis: *Quorumcumque aliud quiddam præter usum est id quod fit* (nempe in actionibus transeuntibus), *horum actus in eo, quod fit, est, ut ædificatio in eo, quod ædificatur, et contextio in eo, quod contextitur* (2). Et alibi: *Actus agentium in eo, quod patitur atque disponitur, inesse videntur* (3). Item: *Quod si motus et actio atque passio in eo est, quod patitur, atque movetur, necesse est, et sonum et auditum actu in auditu, qui potentia est, esse. Agentis namque moventisque operatio in ipso patiente suscipitur atque inest... Ut actio passioque, non in agente est, sed in eo, quod patitur, sic et ipsius sensibilis actio in ipso est sensitivo* (4).

Dices forte. Aristoteles (5) ex eo probat mundum fuisse ab æterno, quod si Deus produxisset illum in tempore, mutaretur. Atqui ratio hæc supponit actionem, qua mundus produceretur in tempore, receptum iri subjective in ipso Deo.

Resp. Minorem non necessario esse veram. Nam potuit error ille propositionis majoris fundari in errore illorum, qui putarunt Deum non potuisse mundum de novo condere, quin novum haberet actum consilii, voluntatis et intellectus: quem errorem confutavit S. Augustinus libro 12 *de Civitate Dei* (6).

Probatur 1.<sup>o</sup> Actio eductiva et passio sunt unum idemque realiter, ut ostendimus in præcedenti articulo. Atqui passio est in passo, non in agente. Ergo et actio in eodem sit, oportet. 2.<sup>o</sup> Actio idem prorsus est re cum motu, quemadmodum nunc supponimus, et in *Cosmologia* probandum erit, Deo favente. Atqui motus non recipitur in

(1) *Physicor.*, disp. 7, quæst. 3, art. 2, n. 29.

(2) Arist., *Metaph.*, lib. 9, cap. 9.

(3) Arist., *de Anim.*, lib. 2, cap. 2, text. 24.

(4) *De Anim.*, lib. 3, cap. 2, text. 139 et 140.

(5) *Physicor.*, lib. 8, text. 9.

(6) Cap. 13.

Actio recipitur  
in passo

movente, sed in mobili, ut omnes norunt. Ergo et actio... Vide plura apud Auctores.

Mens S. Thomæ. 357. Quænam fuerit hac in re sententia S. Thomæ, si quis scire cupit, afferam hinc inde testimonia, quæ manifestiora videntur. Et primo quidem: *Talis differentia*, inquit, *inter prædictas potentias est consideranda, quod quando præter actum ipsum potentia, qui est actio, sit aliquod operatum, actio talium potentiarum est in facto, et actus facti, ut ædificatio in ædificato et contextio in contextio, et universaliter motus in moto. Et hoc ideo, quia quando per actionem potentia constituitur aliquod operatum, illa actio perficit operatum, et non operantem: unde est in operato sicut actio et perfectio ejus, non autem in operante* (1). Et alibi: *Motus, secundum quod prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis; secundum autem, quod prædicatur de eo, a quo est, constituit prædicamentum actionis* (2). Item: *Sicut actio et passio est in patiente, et non in agente ut subjecto, sed solum ut in principio a quo, ita tam actus sensibilis, quam actus sensitivi est in sensitivo ut in subjecto* (3). Similiter: *Duplex est actio: quædam, quæ consistit in ipso agente, et est perfectio et actus agentis, ut intelligere, velle, et hujusmodi: quædam vero, quæ egreditur ab agente in patientem extrinsecum, et est perfectio et actus patientis, ut calefacere, movere et hujusmodi* (4). Et hæc quidem aliaque similia videntur aperte nostram sententiam continere.

Verum sunt etiam quædam loca in contrarium, quæ non parum facessunt negotii. In primis enim hoc principium generale statuit: *In omnibus, in quibus operatio differt a substantia oportet esse aliquem modum motus, ex hoc quod exit de novo in operationem, quia acquiritur in ipso operatio, quæ*

(1) S. Thom., *Metaphysicor.* lib. 9, lect. 8 fin.

(2) *Metaph.* lib. 11, lect. 9, fin.

(3) *De Anim.* lib. 3, lect. 2, paragr. g. Cfr. *Physicor.* lib. 3, lect. 4, fin., et lect. 5; *Ethicor.*, lib. 1, lect. 12, paragr. c; lib. 2, lect. 4, paragr. c.

(4) *De Potent.*, quest. 3, art. 15 circa fin. Cfr. ib. quest. 7, art. 8, quest. 10, art. 1; lib. 1. *Contr. Gent.*, cap. 100; lib. 2, cap. 1; 1 p., quest. 18, art. 3 ad 1.<sup>um</sup>; quest. 54, art. 1 ad 3.<sup>um</sup>; 1, 2, quest. 3, art. 2 ad 3.<sup>um</sup>; quest. 31, art. 5.

*prius non erat* (1). Alias non semel docet actionem esse in agente: *Actio, inquit, non significatur ut in agente, sed ut ab agente; et tamen constat actionem esse in agente* (2). Unde etiam alibi affirmat actionem esse *quamdam perfectionem agentis* (3), vel *quoddam complementum potentia activæ, comparatur enim ad potentiam sicut actus secundus ad primum* (4); et actionem, quæ non est substantia agentis, *inesse ei, sicut accidens subjecto* (5). Denique alibi ex eo probat non posse eandem numero actionem principalis agentis et instrumenti, *quia idem accidens non est in diversis subjectis* (6).

Hiscæ tamen non obstantibus, Ferrariensis, Suarez, Goudin, Complutenses, Lossada alique contendunt S. Thomam minime sibi adversari; putantque S. Doctorem sæpe in objectis locis locutum esse de actione immanenti, ac nominatim in libro 2.<sup>o</sup> Sententiarum distinctione quadragesima, ubi sermo est de peccato cruci figentium Christum Dominum, quo in peccato duplex fuit actio, altera interna perversa voluntatis, altera externa recepta in Sma. humanitate Servatoris nostri. At in tertio libro Sententiarum loquitur de divinitate et humanitate Jesu Christi, negatque unam posse esse numero illarum operationem, quia *idem accidens non est in diversis subjectis*. Quæ verba certum est non posse accipi de accidente physice inhærenti, nisi alterutrum ponas, aut S. Thomam putasse actionem esse accidens divinæ naturæ, quod absonum est, aut inepte argumentatum fuisse. Id quod scribit S. Thomas in quæstione septima art. 10 *de Potentia*, actionem nimirum esse *quamdam agentis perfectionem*, non est ad rem; nam ex ipso contextu constat S. Doctorem loqui non de perfectione intrinseca et per modum formæ, sed de extrinseca et per modum finis (7). In

(1) S. Thom., 1.<sup>o</sup> dist. 8, quest. 3, art. 1 ad 1.<sup>um</sup>

(2) *De Potent.*, quest. 8, art. 2. Cfr. *de Potent.*, quest. 7, art. 9 ad 7.<sup>um</sup>

(3) *De Potent.*, quest. 7, art. 10 ad 1.<sup>um</sup>

(4) *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 9, Item.

(5) *Ibid.* Adhuc.

(6) 3.<sup>o</sup> dist. 18, quest. 1, art. 1 ad 4.<sup>um</sup> Cfr. 2.<sup>o</sup> dist. 40, quest. 1, art. 4 ad 1.<sup>um</sup>

(7) Lege ipse Aquinatem, ib. *de Potent.*, quest. 7, art. 10, in corp. et ad 1.<sup>um</sup> et 2.<sup>um</sup>

aliis locis sensus potest forte esse denominativus, ut nempe agens dicatur subjectum relationis prædicamentalis ad passum; et in eodem sensu dici actio potest accidens, videlicet non physicum, sed logicum. Fateor tamen non omnes hæc explanationes plene satisfacere, nec penitus dissipare dubium omne circa mentem Aquinatis.

358. *Objic. 1.<sup>o</sup>* Sicut se habet actio ad agens, ita passio ad passum. Sed passio recipitur in passo. Ergo actio in agente.

*Resp. dist.* Major; quoad denominationem, *conc.*; quoad modum se habendi physice, *neg.* Et *concess.* Minor, *neg.* conseq.

*Objic. 2.<sup>o</sup>* Actio ut actio seu prout formaliter distinguitur a passione, est accidens, cum pertineat ad prædicamentum accidentis. Ergo alicui subjecto inhæret. Sed actio ut actio non inhæret passo. Ergo inhæret agenti (1).

*Resp. dist. antec.*: actio ut actio est accidens logicum, sive in denominando, quatenus denominatio agentis potest adesse vel abesse absque subjecti corruptione, *conc.*; est accidens physicum, *neg.*

*Dist. conseq.*; inhærentia vel physica vel logica est impropria, *conc.*; præcise physica; *subdist.*, inhæret ei, respectu cuius est accidens physicum, *conc.*; ei respectu cuius est accidens pure logicum, *neg.*

Et *contradist.* Minor. subsumpt.; inhærentia physica, *neg.*; inhærentia logica, *conc.* Quia actio ut actio non denominat passum, sed agens dumtaxat. Adde quod quamvis actio ut actio non dicat esse *in*, sed esse *ab* aliquo; tameneductio vel actioeductiva non solum importat respectum ad principium a quo, sed etiam ad subjectum, *in quo vel ex quo* (2).

*Instabis 1.<sup>o</sup>* Actio in eo est subjective, cuius est actus. Sed est actus agentis. Ergo est in agente (3).

*Resp. dist.* Major; cuius est actus a quo, *neg.*; cuius est actus in quo, *conc.* Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

*Instabis 2.<sup>o</sup>* Si actio esset in passo, deberet passum denominare. Nam forma communicat suum effectum formalem

(1) Apud Lossada, loc. cit. n. 8, *Objic. 3.<sup>o</sup>*

(2) Lossada, *ibid.*

(3) Vide Suarez, loc. cit. n. 15.

ad denominationem illi subjecto, in quo est. Ergo quoniam actio non denominat passum, sed agens, in hoc esse subjective dicendum est.

*Resp. Neg.* antec. Et probation. *isting.*; forma intrinseca, *conc.*; extrinseca, *neg.* Et exemplum habes in cognitione v. g., et visione aliisque similibus formis, quæ sæpe denominant objecta, in quibus non sunt, ut patet in concretis logicis *cognito, viso*, etc. (1).

*Objic. 3.<sup>o</sup>* Agens creatum agendo perficitur, et mutatur; scilicet namque Dei est non mutari agendo. Ergo in se recipit actionem suam. Hinc scriptum est quod *beatius est magis dare, quam accipere* (2). Et sensus communis censet perfectiora esse entia, quæ agunt, quam quæ non agunt.

*Resp.* agens quidem perfici immanenter operando, non autem operando transeunter; actio enim transiens perfectio agentis propria non est, quatenus perfectio importat formam intrinsece perficientem subjectum. Potest autem dici actio perfectio extrinseca ejus, primum in sensu quodam morali, quatenus per actionem perfectio agentis quodammodo ad alia se extendit, quod in rebus habentibus limitatam perfectionem censetur pertinere ad quamdam perfectionem extrinsecam earum. Secundo dicitur etiam actio perfectio agentis iterum extrinsece et per modum finis, non autem intrinsece ac per modum formæ, quatenus agentia ex se ordinantur ad explicandam activitatem ac fecunditatem suam, extrinsecus operando et similitudinem suam aliis imprimendo. Ut enim exponit S. Thomas, *in ipso effectu vel passione vel motu inductis, attenditur quoddam bonum et perfectio moventis, sicut maxime patet in agentibus univocis, quæ per actionem suæ speciei similitudinem inducunt, et per consequens esse perpetuum propriæ speciei, secundum quod est possibile, conservant* (3). Et hoc pacto effectus ipse agentium transeunter operantium est quoddam bonum ipsorum. Tertio actio transiens dici potest perfectio agentis illative aut arguitive, quatenus ex actione arguitur in causa potentia agendi, quæ est

(1) Suar., *ib. n. 16*, ubi plura videnda sunt.

(2) *Act. Apost.*, cap. 20, v. 35.

(3) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 7, art. 10. Cfr. *ib. ad 1.<sup>am</sup> et 2.<sup>am</sup>*

intrinsicæ illius perfectio. Re autem vera agens ut agens magis declarat perfectionem suam, quam perficitur, nisi ex actione sua commodum aliquod reportet vel recipiendo in se terminum actionis, ut in iis quæ agunt actione immanente, vel mediante actione sua conservando se ac tuendo e contrariis. Denique sæpe artifices v. g. perficiuntur transeunter operando, non præcise ratione operationis transeuntis, sed quia simul eliciunt operationes immanentes, quarum repetitione comparant etiam habitus ad facilius et expeditius operandum. Neque vero potest aliud significare communis hominum sensus. Enimvero quis sibi persuadeat ignem perfectiorem in se intrinsece reddi, cum actu comburit, vel aquam, cum frigefacit, vel lapidem, cum funda emissus a puero vitra fenestræ frangit? Quod vero atinet locum sacrarum Litterarum, «*beatior* sive perfectior perfectione intrinsicæ per se est dans, quam recipiens, propter actum liberalitatis, qui est actus voluntatis immanens, et ad dationem spontaneam ac gratuitam, de qua datione illud dictum intelligitur, est per se necessarius; cum ad pure recipiendum per se nullus actus virtutis sit necessarius. Non vero beatior est dans ratione solius actus transeuntis» (1).

Similiter agens per ipsam actionem transeuntem formaliter in se non mutatur, sed tantum præsuppositivè, quatenus præviè affici debet variis dispositionibus et instrui prærequisitis omnibus, ad hoc ut in actu primo proximo constitutum sit, quemadmodum magis declarandum erit, cum de causa efficiente disputabitur (2).

Objic. 4.<sup>o</sup> «Actio est modus agentis, qui oritur ab intrinsicæ agentis, ejusque intrinsicam potentiam reducit ad actum. Atqui nequit intrinsicæ potentialitas ad actum reduci, nisi per intrinsicam actualitatem. Ergo... Accedit, quod nulla creata potentia est ita pure activa, ut non sit etiam passiva: alioquin esset actus purus sicut omnipotentia Dei (3).

Resp. «Actio transiens dicitur modus agentis, quatenus ab eo est essentialiter inseparabilis, tum egressive, quia

(1) Mayr, loc. cit., part. 2, n. 957.

(2) Vide Suarez, loc. cit., n. 17; Lossada, loc. cit., n. 13; Complutens, loc. cit., quæst. 5, n. 53.

(3) Apud Lossada, loc. cit., n. 8.

essentialiter habet egredi ab hoc agente præ alio, tum connexive, quia nullatenus potest eo non existente existere; non tamen est modus intrinsicus, sed extrinsecus. Oritur etiam ab *intrinsicæ* agentis, non quod prius existat formaliter intra agens, et inde saltet, aut advolet ad passum, sed quia primo existit in passo ex efficacia intrinsicæ virtutis agentis: quo sensu etiam actio creata, et omnis effectus oritur ab intrinsicæ Dei. Nec intrinsicæ potentia activa debet reduci ad actum per actualitatem intrinsicam, sed sola potentia passiva, quæ incompletiorem importat solaque dicitur potentialitas. Nec omnis potentia activa creata debet simul esse passiva respectu ejusdem termini, vel actionis, cujus activa est, sed respectu dispositionis, aut applicationis præviæ, quæ passivitas sufficit, ut non sit actus purus, imo ad hoc sufficit logica passivitas essentialis, quam a Deo recipere debet» (1).

#### § II.—ALIE QUÆSTIONES EXPEDIUNTUR.

359. Verum hactenus de his. Nunc pro complemento hujus tractationis quædam alia dubia breviter expedienda sunt. Et primo quidem.

Quæritur, *quodnam sit specificativum actionis*. Sermo autem est de specificativo extrinsecæ, quod considerari solet in entitatibus essentialibus ordinem ac respectum ad aliquid inludentibus; nam specificativum intrinsicæ est ipsa essentialis differentia rei, quæ interne ac formalissime in ipsa re inveniatur, necesse est (2). At quoniam actio prout actio importat essentialem transcendentalemque respectum et ad terminum et ad agens, dubitari merito potest, ex quonam istorum, vel an ex utroque, unitatem diversitatemque specificam sortiatur. Triplex esse potest modus dicendi; primus statuens actionem sumere speciem ex principio agendi, non vero ex termino, per se loquendo. Id quod significavit S. Thomas hisce verbis: *Cum motus quodammodo distinguatur per actionem et passionem, utrumque horum ab actu specien-*

Undenam  
actio specificatur.

(1) Lossada, loc. cit., n. 14.

(2) Vide quæ de specificativo scripta reliquimus in Logica, n. 282.

sortitur; actio quidem ab actu, qui est principium agendi, passio vero ab actu, qui est terminus motus nostri. Unde calefactio actio nihil aliud est, quam motio quædam a calore procedens; calefactio vero passio nihil aliud est, quam motus ad calorem. Definitio autem manifestat rationem speciei (1). Secundus modus dicendi est huic contrarius, videlicet actionem sumere speciem non ab agendi principio, sed a termino; et fundatur etiam in auctoritate S. Thomæ. Actio aliqua, inquit, ex duobus naturalem speciem accipere videtur, scilicet ex agente et termino. Calefactio enim ab infrigidatione differt, quia una earum ex calore procedit et ad calorem terminatur; alia vero a frigore ad frigus. Proprie tamen actio, sicut et motus, a termino speciem habet, a principio autem habet, quod sit naturalis. Motus enim et actiones naturales dicuntur, quæ sunt a principio intrinseco (2). Estque hæc communissima Philosophorum sententia, cum loquuntur de specificatione motus a termino, nam sub motu actionem et passionem includunt. Tertius modus loquendi est, ad specificationem actionis concurrere simul principium agendi et terminum, ita tamen, ut variatio etiam singulorum ad diversitatem actionis sufficiat. Hanc sententiam, quam in præcedenti testimonio innuerat S. Thomas, clarius docet alibi, sic scribens. Objectum comparatur ad actum potentie passivæ sicut principium et causa movens, color enim in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentie activæ comparatur objectum ut terminus et finis, sicut augmentativæ virtutis objectum est quantum perfectum, quod est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio vel ex fine seu termino. Differt enim calefactio ab infrigidatione, secundum quod hæc a calido, scilicet activo, ad calidum, illa autem a frigido ad frigidum procedit (3). Sunt etiam qui putent, etiamsi et principium et finis unum sint, actionem diversificari posse ex modo, quo fit. Hoc pacto generatio et creatio ejusdem rei, etiamsi a Deo immediate procedant, specie distinguuntur solum ex

(1) S. Thom., 1. 2. quæst. 1, art. 3. Vide Suarez, disp. 48. sect. 3, n. 3.

(2) S. Thom., De Potent., quæst. 6, art. 8. Vide Suarez, loc. cit., n. 4.

(3) S. Thom., 1 p., quæst. 77, art. 3. Vide Suar., loc. cit. n. 5.

modo agendi: et motus rectus et circularis, quantumvis ad eundem terminum tendant et ab eodem principio procedant, ad diversam speciem pertinent (1).

360. DICO 1.<sup>o</sup> Terminus est sufficiens actionis specificativum, ita ut ubicumque termini sint diversi, etiamsi principia sint eadem, actiones quoque inter se differant specie.

Hæc est communis omnium sententia. Et probatur, quia «actio essentialiter ac per se primo ordinatur ad terminum, et propter illum existit: unde actio physica se habet ad terminum, sicut volitio ad finem, et cognitio ad objectum formale. Hic autem ordo necessario variatur pro varietate termini: quare, cum sit usque adeo essentialis actionibus, nequit non eas reddere diversas in essentia, sive in specie. Hinc calefactio, et illuminatio aeris, licet ab eodem Sole proveniant, specie differunt» (2).

361. DICO 2.<sup>o</sup> Diversitas etiam principiorum videtur sufficere ad actiones specie diversificandas, quamvis nulla sit in ipsis terminis diversitas.

«Probatur, quia actio non minus essentialiter, nec minus per se primo respicit principium, quam terminum, cum conceptus ab sit veluti character actionis. Sicut ergo ex diversitate termini diversa redditur, ita ex diversitate principii. Quare productio ignis ab igne specie differt a productione ignis a sole vel a solo Deo; cum altera prædicatum habeat essentialia, quo caret altera, videlicet esse exercitium causæ invocæ vel causæ secundæ. Nec facile creditur est, quod hæc differentia sit pure individualis; magis enim notabiliter differt

Terminus est sufficiens specificativum actionis:

Itemque principium.

(1) Vide apud Suar., loc. cit., n. 6.

(2) Lossada, loc. cit., n. 19. Cfr. Suar., loc. cit., n. 3-7. Disputare tamen solent hic Auctores, utrum ad diversam specificam reddendam actionem sufficiat quævis termini diversitas, etiamsi in sola materiali ejus entitate consistat, an vero requiratur formalis diversitas termini, sita in ratione, secundum quam actio ad effectum terminatur. Qua de re vide Suarez (loc. cit., n. 8), vel Joan. a S. Thoma (Physic., quæst. 14, art. 3), vel Rhodes (Philos. perip., lib. 2, disp. 6, quæst. 1, sect. 2, paragr. 2).

exercitium causæ univocæ ab exercitio æquivocæ, quam ab exercitio alterius univocæ» (1).

Denique probabile est actionem prout eductio est, seu prout cum passione identificatur, specificè diversificari etiam ex diversitate passi. Nam ad illud dicit ordinem transcendentalem. Et probabile pariter est, quod actiones physicæ possint etiam ex solo modo tendendi specie differre, saltem si altera sit naturalis, supernaturalis altera, vel utraque supernaturalis: quemadmodum tenet Lossada et alii cum Eximio Doctore (2).

Multiplicatio  
actionis  
numerica potest  
diversitate sub-  
jecti recipientis,

vel ex  
diversitate  
agentium ac  
temporis.

Utrum eadem  
actio possit oriri  
a pluribus  
agentibus.

Jam relate ad unitatem vel multipliciter actionis numericam, videtur ea certo colligi posse ex unitate vel multipliciter actionis recipientis illam; nam actio est modus. Non potest autem unus modus in duplici subjecto esse. Deinde etiamsi subjectum sit idem, multiplicatur numero actio variato tempore, ut patet. Præterea ex his, quæ superius diximus de essentiali alligatione actionis huic agenti hic et nunc, sequitur etiam numero diversas esse actiones, quæ vel a diversis agentibus ejusdem speciei, vel ab eodem agente in diversis temporibus proficiscuntur.

**Quæres 2.<sup>o</sup> utrum eadem numero actio possit procedere a pluribus agentibus.** Distinguendum est; nam vel agentia singillatim sufficiunt ad actionem vel effectum ponendum vel non. Si non sunt singillatim sufficientia, planum est, quod una indivisibilis actio ab illis fluat. Hoc modo causa principalis et instrumentum una influunt actione: v. g., manus mea et calamus scribunt indivisibili actione: quia scriptio dari nequit sine motu calami nec motus calami absque motu manus. Ob similem rationem causa secunda agit actione, quæ indivisibiliter procedit simul a causa prima, quemadmodum fusius dicitur in Theologia naturali, ubi de divino concursu. Nam quamvis Deus solus possit operari, atque adeo ex parte sui sit causa totalis et adæquata, verum e converso impossibile

est causam secundam quidpiam agere vel actionem ponere, ad quam Deus non cooperetur: quare dari nequit actio creaturæ, quæ non pendeat essentialiter, ac proinde fluat a Deo. Quidquid ergo sit, utrum Deus aliam præterea ipse solus actionem ponat, dum operatur cum creatura, certissimum est actionem secundæ causæ esse indivisibiliter actionem Dei concurrentis. Si autem causæ habeant singillatim virtutem sufficientem in ordine suo ad actionem vel effectum ponendum; communis sententia tenet, saltem naturaliter loquendo impossibile esse ut plura agentia hujusmodi producant effectum actione una, si operentur singula tamquam causæ totales, posse autem si operentur tamquam causæ partiales. Exemplo res illustrari potest. Ponamus duos equos trahentes currum, quem singuli possunt trahere. Tunc tractio hujusmodi una foret, si singuli non adhiberent tantum influxum et efficacitatem, quanta sufficeret ad trahendum currum, vel saltem ad trahendum illum cum ea velocitate, cum qua hic et nunc trahunt. In hoc enim casu revera illi equi non agunt singuli tamquam causæ totales, sed tamquam causæ partiales; quia singuli non ponunt, nisi partem activitatis necessariæ; totalis vero activitas coalescit ex complexu partialium activitatum. Si autem singuli ponerent influxum et efficacitatem capacem trahendi currum cum velocitate A, actio utriusque non posset esse tractio habens solam velocitatem A, respectu cuius supponuntur causæ totales, sed aliam, quæ responderet summæ influxum et activitatis ab utroque simul positæ, et cuius respectu singuli non forent causæ totales, sed partiales.

Probatur autem assertio, quia actio, ut supra vidimus omnino essentialiter pendet ab agente. Ergo nequit una et eodem actio a pluribus agentibus, quarum singula totalia sint, pendere. Secus enim penderet simul et non penderet essentialiter a singulis; quod contradictorium est. Penderet quidem ex suppositione; non penderet autem, quia si actio unius illorum agentium tolleretur, adhuc remaneret actio, quia supponitur alterum pariter totale. Ergo actio illa non pendet essentialiter a primo agente. Rursus si alterum agens tolleretur, nihilo secius actio remaneret ut pendens a primo, a quo etiam fingitur tamquam a totali causa procedere. Ergo

(1) Lossada, loc. cit., n. 17. Cfr. n. 18, ubi solvuntur quedam difficultates. Vide etiam Joannem a S. Thoma, loc. cit., Rhodes et Suarez, loc. cit. Verum Suarez quamvis probabilem habeat hanc doctrinam, magis tamen inclinat in contrariam; Rhodes autem putat actiones secundario dumtaxat ab agente specificari.

(2) Lossada, loc. cit., n. 19; Suarez, loc. cit., n. 21. Cfr. n. 6.